

## (IN OBITU LISAE)

C\_1 v.1 Ergo sic nostro, saevissima pestis, amico  
2 non puduit dominam surripuisse suam :  
3 tum Lisa nitidos ausa es exstinguere ocellos,  
4 qui poterant Veneris exsuperare jubar.  
5 Et nunc umbra recens primo illa in limine Ditis  
6 jam sedet obscurum mox subitura nemus ;  
7 jamque iter ingreditur tenebrosum, unde impia nullum  
8 non prece non auro fata redire sinunt ;  
9 jam nigra caenosi vada gurgitis insilit et jam  
10 aspicit inferni guttura terna canis :  
11 Lisa meo quondam tantum dilecta sodali,  
12 quantum nunc oculos non amat ipse suos !  
13 Quid tibi nunc prodest mores coluisse pudicos,  
14 quidve pia sanctos relligione deos,  
15 dulcia quid nervis Phoebos instituyente sonoris  
16 carmina tam doctis composuisse modis,  
17 talibus indigna quando te exsolvere peste,  
18 nec potes extremum, Lisa, cavere malum ?  
19 Heu, heu quam surdas aures quamve impia tristi  
20 Inferni geritis pectora corde dei !  
21 Nam quid vos flectet, quos nec pia verba puellae,  
22 nec flectunt miris carmina dicta modis ?  
23 Hoc meruit pietas, immo hoc pietate nefandum  
24 exitium exoritur ? Sic nocet esse piam ?  
25 Nam dum vicinam miseranda in sorte salutas,  
26 non potes inde tuam, Lisa, redire domum.  
27 Heu, quam tesaevi subito invasere dolores,  
28 quantus et in totis ossibus ardor erat !  
29 Tum facies olim Punico perfusa rubore  
30 et niveus toto languit ore nitor ;  
31 non aliter quam quae trunco decussa virenti  
32 liquit in aestivo lilia sole puer,  
33 vel quae, jam sacris superant ubi forte peractis,  
34 paulatim siccis sarta cadunt foliis.  
35 Jam teneram sacer laeva de parte papillam  
36 ulceris impulerat morbus habere caput,  
37 siccaque rigeabant torrenti guttura febrim,  
38 letalique arebat lingua perusta siti.  
39 Illa tamen, nimio quamvis jam victa dolore  
40 vix posset cubito nixa levare caput,  
41 plorantes siccis comites suspexit ocellis,  
42 et dedit hinc placido talia verba sono :

43 "Di, quorum imperiis primo nunc flore juventae  
 44 ante diem Stygios cogor adire lacus,  
 45 vos mihi, vos testes nil me admisisse nefandum,  
 46 quo tam crudeli morte premenda forem !  
 47 Namque ego maternum servavi casta pudorem,  
 48 nullaque de nobis fabula turpis erit.  
 49 Ergo libens, quamquam nimis immatura, sub imos  
 50 descendam Manes et data fata sequar.  
 51 Alter erit tanti nostra quem sorte dolores  
 52 vexent, ut sine me nil sibi dulce putet ;  
 53 at vos, quae trahitis fatalia pensa sorores,  
 54 hic facite ut videat saecula bina senex,  
 55 et quantum demptum est nostro de stamine vitae  
 56 omne id vos annis accumulate suis."  
 57 Haec atque alia iis adnectere plura volentem  
 58 deseruit sicco vocis in ore sonus,  
 59 et simul e gelido prolapsa est sanguine vita  
 60 et jacuit frigidus corpus inane toro.  
 61 Exitus hic Lisae est, qua, si modo Xandra remota,  
 62 Etrusca fuerat pulchrius urbe nihil.  
 63 Non tamen in prima sic, Lisa, exstincta juventa  
 64 paeniteat mores excoluisse probos :  
 65 impia nam fugies sic Tartara nec tibi saevas  
 66 incutiet poenas de tribus ulla soror ;  
 67 non te Dictaei terrebunt jura tyranni,  
 68 jura umbris nunquam diffugienda piis ;  
 69 non rimosa nigris implenda paludibus urna,  
 70 non erit inter aquas dira timenda sitis.  
 71 Horrescant aliae falcatos vulturis unguis,  
 72 et vetita extremum tangere saxa jugum ;  
 73 horrescant volucresque rotas, scopulosque minaces,  
 74 flammiferumque caput, saeva Chimaera, tuum.  
 75 At Lisa Elysios campos silvasque virentes,  
 76 fortunatorum regna beata colet.  
 77 Tum positum quisquis subito mirare sepulchrum,  
 78 quatuor haec cursim carmina nostra lege :  
 79 cui Venus et Charites, cui Phoebus et ipsa Minerva  
 80 contulerant quicquid esset ubique boni,  
 81 Hoc sua candenti tumulo nunc condidit ossa ;  
 82 ossa : beatorum spiritus arva colit.

EULOGIUM IN NERIUM CAPONIUM, AD IOHANNEM CANISIANUM

C\_2

v.1 Non ergo immerito tam clari in funere civis  
 2 sollicitas pectus, Canisiane, tuum.  
 3 Cernis enim magno testatus saepe dolore,  
 4 suscepit quantum publica causa mali.  
 5 Nam quid tam miserum jam dudum tamque dolendum  
 6 Lydius Etrusca vidit in urbe leo ?  
 7 Nam qui pace bonus fuerat, qui magnus in armis,  
 8 occidit omne togae militiaeque decus.  
 9 Ah, quanta in dubiis velox prudentia rebus  
 10 pectoris, impendens vaticinantis erat,  
 11 quamque graves casus, quam multa pericula quondam

12           effugit monitis curia nostra suis !  
13       Auctor enim pacis semper fuit : haec sua virtus,  
14           Hoc fuit excelsae nobile mentis opus.  
15       At si quem excierat nobis ut bella moveret  
16           improba regnandi saeva cupido ducem,  
17       tum patre magnanimo Nerius, dum fortia contra  
18           arma movet, nusquam degener ipse fuit.  
19       Gallia sit testis Gallique horrenda Philippi  
20           agmina et undosi flumina magna Padi.  
21       Testis et Anglari vallis, cum Braccia turpi  
22           Piccinine tibi signa relicta fuga.  
23       Testis et Aragonum ductor Calabriaeque cohortes  
24           et Lusitanis castra referta viris.  
25       Hic Fesulos subito sperabat Marte Quirites  
26           turpiter insolito subdere colla jugo.  
27       At vigilat Nerius, turmasque opponit amicas,  
28           ne manus excultos barbara vastet agros.  
29       Ergo qui nuper nulli cessurus in armis  
30           Iapygiis ruerat usque tremendus equis,  
31       paulatim vires Fabia delusus ab arte,  
32           quae magnae fuerant, perdidit ille suas.  
33       Hunc Roma inspexit contritis turpiter armis  
34           milite vix inopi signa referre domum.  
35       Et dubitem Nerium patribus populoque salutem  
36           cunctando lenta restituisse mora ?  
37       Sed quis in Hesperia locus est, ubi magna Caponum  
38           hoc duce non fuerit cognita fama domus ?  
39       Sed quis in Hesperia dux est, qui plurima bello  
40           consilium Nerii non valuisse neget ?  
41       Nec te, Sfortiada praesens mihi Caesar, in armis  
42           hunc comitem bellis saepe habuisse pudet.  
43       Hujus enim noras divini pectoris artes,  
44           et rerum certos in genus omne modos.  
45       Ast heu nunc ipsum, quem fortis Etruria multis  
46           deploret lacrimis, abstulit atra dies.  
47       Non ergo immerito tam clari in funere civis  
48           sollicitas pectus, Canisiane, tuum.  
49       Nec te magnanimi casus nunc urget amici,  
50           actum nec : secum durius esse putas.  
51       Nam civis quaecumque potest optare modestus,  
52           omnipotens illi fors cumulata dedit.  
53       Florenti in patria natus, quae libera justo  
54           Tyrrhenas urbes temperat imperio,  
55       et patriae magnus dum tractat Cosmos habenas,  
56           proxima post Cosmum dignus habere loca.  
57       Adde genus clarum simul et numerosa nepotum  
58           nomina et agnatis stemmata plena suis,  
59       adde et Parrhasiae Pisano in litore gentis  
60           Victa genitoris moenia Marte sui,  
61       adde animi vires, fortunae commoda, vitae  
62           quae validus duxit tempora longa senex.  
63       Sed te communis populi jactura, tuaeque  
64           urbis amor magnus, Canisiane, movet.  
65       Tempore nam duro tali privatur alumno  
66           publica res, qualem saecula rara ferunt.

AD BERNARDUM BEMBUM

C\_3

v.1 Tale meo carmen resonet si pectore, quale  
2 Ismario vati Calliopea dedit,  
3 non ego ad excelsos revocarem flumina fontes  
4 nec traherem fulvos per juga summa lupos,  
5 blanda nec auritae sequerentur carmina quercus,  
6 nec premeret gressus lynx stupefacta suos ;  
7 sed te, Tyrrheno sidus salutare leoni,  
8 qui nuper Veneta missus ab urbe venis,  
9 sensibus amplectens imis et pectore firmo  
10 cantarem laudes, maxime Bembe, tuas,  
11 Bembe decus nostri, Musarum dulcis alumne,  
12 deliciae Charitum, Palladiumque caput.  
13 Quod mihi principium, meritos dum reddere honores  
14 conor, Bembe, tibi, quis mihi finis erit ?  
15 Magna facit variis inopem me copia rebus,  
16 virtutes dubium me tenuere tuae,  
17 ne, dum plura feram, plura et referenda relinquam  
18 immensumque novo carmine crescat opus.  
19 Stultus sed tenui sublimia sidera penna  
20 ire paro, Icarias mox subiturus aquas ;  
21 nam nec Calliope Rhodopei carmina vatis,  
22 nec Lini nobis praebet Apollo lyram,  
23 sed curtis elegis Erato me jussit amantum  
24 usta cupidinea ludere corda face.  
25 Quapropter Bembi castos ludemus amores,  
26 versibus ut surgat Bencia nota meis.  
27 Bembus, pulchra, tuam miratur, Bencia, formam,  
28 caelestes valeas qua superare deas,  
29 quam magnus Veneris Mavors praeponere amori,  
30 quam missa Europa Juppiter ipse velit.  
31 Sed magis antiquos mores pectusque pudicum  
32 miratur stupidus Palladiasque manus.  
33 Semper amore pio calet hic, contagia tetrae  
34 nec possunt illum tangere luxuriae.  
35 Nullam Helenem laudat Bembus, nullamve Corinnam,  
36 Cynthia nulla sibi, Lesbia nulla placet,  
37 nec si qua est castum quae ausit violare cubile  
38 conjugis, et firmam voluit esse fidem.  
39 Grata sed Alceste, grata et quae conjugis atros  
40 Evadne voluit scandere viva rogos,  
41 grata et Penelope, quam nec potuere parentes  
42 flectere, nec dites, turba proterva, proci,  
43 et quaecumque olim duro succumbere leto  
44 maluit et Stygii nare per uda lacus,  
45 debita legitimi quam rumpere foedera lecti,  
46 solvere vel sancti vincula conjugii.  
47 Quapropter, tales artes imitata, puellis  
48 exemplar Tuscis, Bencia pulchra, venis.  
49 Notus amor Paridis, fateor, (fur)orque Lacaenae,  
50 sed turpi tamen est notus adulterio.  
51 Pulchrior at Ladae partu jam, Bencia, cunctis  
52 gentibus es rara nota pudicitia.

AD EUNDEM

C\_4 v.1 O te felicem ! Lux o qu(am lactea) signet  
 2 gemma et natali non su(peranda tu)o,  
 3 qua licuit dominam propter tibi, Bembe, sedere  
 4 ludereque ac mutuo mille referre sales.  
 5 Fare, age, quis pallor, quis te rubor una timorque  
 6 corripuit, tremulo qualis in ore sonus,  
 7 hospitis in mediis laribus nil tale putanti  
 8 obvia cum facta est dia Gineura tibi,  
 9 cumque salutanti respondit pauca modeste,  
 10 purpureus niveo crevit et ore calor.  
 11 Non ita concaluit, cum primum Sestia virgo  
 12 vidit Abydenum nare per alta virum ;  
 13 candida nec Dido, viridi residentis in antro  
 14 cernens Dardanii membra decora ducis,  
 15 ut tu divinae subito fulgore puellae  
 16 arsisisti tacita gaudia mente ferens.  
 17 Es tibi tunc visus pinnatis, Bembe, quadrigis  
 18 scandere lucentis regna superna poli,  
 19 colloquioque frui divum coetuque dearum  
 20 permixtus sanctos concelebrare choros.  
 21 Dic igitur : quae tunc renovatae in pectore flammae,  
 22 et quibus, ah, durus ignibus ussit amor ?  
 23 Sed dices nunquam ; parvo namque igne calescit,  
 24 qui quantum caleat dicere, Bembe, valet.  
 25 Dic Erato (quae sint flammae quae) pectus amantum  
 26 incutiant ; (nam tu) sola referre potes ;  
 27 dic, quibus obstupuit verbis vel quae ora Medusae  
 28 vertere eum in silicem sic potuere novam.  
 29 Surripuit Phrygium puerum Jovis ales in altum,  
 30 misceat ut regi pocula caelicolum ;  
 31 Bencia sed Bembum divinae assistere mensae  
 32 et dedit ambrosios sumere posse dapes.  
 33 Ludebat, lusum decuit ; loquebatur, ab ore  
 34 jurares Charites fundere verba suo.  
 35 Vidi ego post atros imbres, jam nube fugata,  
 36 fulgentem subita luce redire diem ;  
 37 at modico risu si forte Gineura refulsit,  
 38 tunc soles geminos emicuisse putes.  
 39 Candida lux igitur niveoque notanda lapillo  
 40 illa fuit, fateor ; sed tamen una fuit.  
 41 Quod si felici redeat nunc altera fato,  
 42 Bembe, immortalem te mea Musa canet.

AD EUNDEM

C\_5 v.1 Hoc age nunc, Erato, Bembi referamus amores,  
 2 sed quos caelestis comprobet ipsa Venus.  
 3 Hic nihil obscenum est turpive libidine taetrum ;  
 4 castus amor castam postulat usque fidem.

5 Talis amor Bembi, qualem divina Platonis  
6 pagina Socraticis exprimit eloquiis.  
7 Namque amor a pulchro cum sit, perculsa cupido  
8 pulchrum amat et pulchris gaudet imaginibus ;  
9 at quodcumque bonum, pulchrum est, turpe omne nefandum :  
10 sic bona deponit, sic mala vitat amor.  
11 His flammis Bembus talique accensus amore  
12 uritur, et medio corde Gineura sedet.  
13 Forma quidem pulchra est, animus quoque pulcher in illa :  
14 horum utrum superet, non bene, Bembe, vides.  
15 Ergo nil mirum est, nam maxima semina flammis  
16 Virtus et dominae dant tibi forma tuis.  
17 Teque etiam ingenio finxit natura benigno,  
18 solertemque animum stella secunda dedit ;  
19 hinc oculis priscas stupidis mirare figuras  
20 sive hominum, seu sint haec simulacra deum,  
21 si qua aut Parrhasio fulget splendore tabella,  
22 ductus Apellea si quis ab arte color.  
23 Sed Cnidiae quondam Veneris simulacra resecta  
24 Praxitelis docta sunt tibi visa manu :  
25 his tu non Italiam, non Galliam, Bembe, puellam  
26 hactenus aut aliam conspicias assimilem.  
27 Bencia sed nuper flavos redimita capillos,  
28 cum primum est oculis visa Gineura tuis,  
29 tunc ut plebeae reliquae de pectore formae  
30 cesserunt ! Visa est sola Gineura dea.  
31 Tunc mens insolita stupuit, Bernarde, figura,  
32 cernere supra hominem nescio quid reputans.  
33 Sed neget alatum quis te volucremque, Cupido,  
34 quo celere est toto jam nihil orbe magis ?  
35 Conspectu ut primo stupuit Bernardus, ut illi  
36 corripuit subito pectora tota furor !  
37 Vidit, et internas irrupit flamma medullas,  
38 atque horrens subiit dura per ossa tremor.  
39 Nam facies illi, qualem cum saepe videmus  
40 candida purpureis lilia mixta rosis,  
41 vel si Phoenicio veniat suffusa colore  
42 Indica Erythraeo gemma reperta mari.  
43 Et Venus ipsa oculos divino spargit honore  
44 et Charitum tota gratia fronte nitet.  
45 Ambulat : incessum jures Junonis in illa.  
46 Est opus in manibus : Palladis exstat opus.  
47 Vidimus, horrisono Borea cessante, reducta  
48 candentem subito crescere valle nivem ;  
49 at si cervicem spectes et colla Gineurae,  
50 candentem poteris temnere jure nivem.  
51 Ardent purpurei vernali tempore flores ;  
52 sed nihil ad dominae pulchra labella tuae.  
53 Quid frontem nitidam et dentes referamus eburnos,  
54 et posita in roseis lumina nigra genis ?  
55 Nec mores qui sint, nec quales ore lepores  
56 humano sperem posse referre sono.  
57 Ergo si casu in talem, Bernarde, furorem  
58 incidis aeternum, sors memoranda datur ;  
59 sin illam ex tota prudenter deligis urbe,  
60 quis prorsus, quisnam te mage, Bembe, sapit ?

61 Es felix igitur, sed non minus illa beata,  
62 quae quondam tanto vivat amata viro.  
63 Nam quis nobilior Veneto cui prisca Senatu  
64 progenies multos enumeravit avos ?  
65 Est aetas viridis, pulchro est in corpore virtus,  
66 admixtusque decens cum gravitate jocus.  
67 Smyrnaeo celebrem versu laudamus Ulixem,  
68 plurima qui magno viderat orbe loca.  
69 Hic passus diros Ciconas belloque superbum.  
70 Ismaron, et forti proelia gesta manu.  
71 Nam quid Cyclopas referam, vel quas Polyphemus  
72 horrendo ferox edidit ore minas ?  
73 Hic vidit sociis falsa sub imagine captis  
74 dissutis ventos utribus ire leves,  
75 Laestrygonum et diras epulas, fugiendaque Circes  
76 litora, et in varias corpora versa feras.  
77 Sirenum fugit cantus, et nota Charybdis  
78 furta, et Scyllaeos, horrida monstra, canes.  
79 Nec semel aequoreas enavit naufragus undas ;  
80 sic, Neptune, tibi, sic tibi, Phoebe, placet.  
81 At si quas terras adiit, quos aequore tractus,  
82 dum peragit patriae jussa verenda suae,  
83 nunc referam, varias missus legatus in oras,  
84 Dulichium poterit vincere Bembus iter.  
85 Nam qua Pyrene niveis ditata metallis  
86 splendida nubiferum tollit ad astra caput,  
87 Herculis ad metas extremaque nomina Calpes  
88 et Gaditano litora tunsae freto,  
89 innumeros populos variasque ex ordine gentes  
90 circuit, et variis moribus ingenia.  
91 Nec tantum geminos noster cognovit Iberos  
92 Bembus et occiduae litora longa plagae,  
93 sed quae sunt gelido septem subjecta trioni,  
94 damnata aeterno frigida rura gelu.  
95 Nam juga Gallorum Rhodanumque et pervia ponte  
96 transivit Rheni flumina Caesareo,  
97 atque omnes quos magna colit Germania montes  
98 et Morinum sedes Teutonicasque manus.  
99 Atque aucta Venetum sic majestate Senatum  
100 colligat externis foedere principibus.  
101 Magnarum hinc igitur sic experientia rerum  
102 egregium mira reddidit arte virum :  
103 hinc callet quicquid civilia dogmata poscunt,  
104 quid dux, quid miles, quidve Senatus agat ;  
105 quae belli, quae summa bonae sint munera pacis,  
106 Curia quod mandet, causidicumve forum.  
107 Te decus egregium, Veneti te nominis omnes  
108 plebei lucem patriciique vocant.  
109 Magna domi praestas magno de pectore promens  
110 consilia in dubiis magna saepe foris.  
111 His facilis rebus jam jam commota Gineura  
112 (dura nec humano pectore saxa gerit),  
113 perpetuo reddi cupiens insignis amore,  
114 optat adoptivae nomina clara domus,  
115 mutatisque notis gentili e stirpe duabus,  
116 Bencia quae fuerat, Bembia nomen erit.

## AD EUNDEM

C\_6 v.1 Quaeris, Bembe, diu sileat cur nostra Thalia,  
2 nec Xandram nobis pagina muta sonet ;  
3 idque putas causae, curis quod forte solutum  
4 insano sanum pectus amore vacet.  
5 At, mihi crede, prius Pisanas Tuscus in undas  
6 Arnus ab aereis desinet ire jugis,  
7 quam nostro auratae vellantur corde sagittae,  
8 meque suis faculis urere cesset amor.  
9 Non Xandrae, ut quondam, flavent in vertice crines,  
10 nec tantus, fateor, fulget in ore nitor.  
11 Sic voluit stabili fatorum lege potestas,  
12 ut quae sunt, ipso tempore nata cadant.  
13 Sic formae decus omne perit fugiente juventa,  
14 paulatim et faciem ruga senilis arat.  
15 Sed mihi nec flavi crines nec lumina nigra,  
16 crede, olim tanti causa furoris erant ;  
17 sed mage me virtus muliebri in corde virilis  
18 movit, et ingenii vis memoranda sui.  
19 Inque dies crevit virtus, crescentibus annis,  
20 inque dies nobis sic quoque crevit amor.  
21 Nam quisquis sola forma vincitur amator,  
22 lubricus instabili nititur ille gradu ;  
23 si quis at egregiam mentem, si diligit acre  
24 ingenium et variis corda referta bonis,  
25 hic pulchrum sequitur, quod nec vitiare vetustas,  
26 ulla nec a caelo magna ruina potest.  
27 Discite mortales animo, non corpore formam  
28 optandam, et verum discite amare decus.  
29 Hoc me jam sextum lustrum tenet, hocque tenebit  
30 dumque animus stabit, dum memor ipse mei.  
31 Nunc quia prima pios aetas cantavit amores,  
32 et lusit dominae cygnea colla meae,  
33 quae posthac veniet maturis serior annis -  
34 nam sic, Bembe, decet - jam graviora canet.  
35 Et tamen interdum dulcis tibi, Bembe, Gineurae,  
36 sit modo Musa favens, nomen in astra feram.  
37 Pierides, Bembo vos hoc praestabitis : orbe  
38 carminibus toto nota sit illa meis.  
39 Hanc nostris soboles miretur Graia libellis,  
40 hanc stupeant Latii me recinente viri.  
41 Illi Smyrnaeo dicent te carmine dignam,  
42 hique Maroneo, Bencia, diva, sono.  
43 Quaeque Fluentina florebit in urbe juventus,  
44 illa modo de te carmina nostra legat :  
45 Heu, dicet, tersi cur non fecunda Petrarcae  
46 incidit in talem tempore lingua deam ;  
47 namque pudicitia, forma, comitate modoque  
48 haec Lauram et sanctis moribus antevenit.



## AD EUNDEM

C\_7 v.1 Non desiderio tali concussa Thoantis,  
 2 cum subito Argoam vidit abire ratem,  
 3 nec tantum doluit Phrygio delusa marito,  
 4 cum lucem dura fugit Elisa nece,  
 5 nec tulit Actaeam gravius discedere classem  
 6 in frondes Phyllis mox abitura novas,  
 7 atque tuo deflet discessu, Bembe, Gineura,  
 8 et queritur surdos in sua vota deos.  
 9 Heu, surdos sua vota deos contemnere luget,  
 10 orbari et castis Bencia deliciis.  
 11 Delicias, ah, maesta pias sanctumque furorem  
 12 nunc nimium celeri luget abire fuga.  
 13 Sed tamen excelsi testatur numen Olympi,  
 14 si qua fides sanctae est, Bembe, pudicitiae,  
 15 se nunquam memori moturam pectore Bembum,  
 16 Nestoreos annos vixerit ille licet.  
 17 Ergo ibis, caros felix visure propinquos  
 18 et dulcis natos conjugiumque pium ;  
 19 nam tandem exacto patria consistere lustro  
 20 sede tibi, magno munere functe, datur.  
 21 Tu tamen infixum generoso in pectore condas,  
 22 qua tibi Landinus junctus amicitia est.  
 23 Nec tantum Argivum Pylades dilexit Orestem,  
 24 cui comes horrendo factus in exilio est,  
 25 Castora nec Pollux duris in caestibus audax,  
 26 fortem nec fortis Thesea Pirithous,  
 27 quanto ego nunc Bembi teneor devictus amore,  
 28 quem jam nulla queat dissoluisse dies.  
 29 Magna Philoctetae potuit reverentia magnum  
 30 Alcidem obsequio conciliare pio ;  
 31 tuque mihi Alcides, sed nec pietate fideque,  
 32 Bembe, Philoctetes me superare potest.  
 33 Namque ego te tota complector mente animoque :  
 34 virtutes mirae sic voluere tuae.  
 35 Prudentem admiror, facilem te diligo, Bembe,  
 36 te doctum stupeo, te fruor usque comi.  
 37 Aetas germanum facit, at reverentia patrem  
 38 te colit, ingenti natus amore venis.  
 39 Ergo perpetuum nostri sit pignus amoris,  
 40 quae colit Aonium turba canora nemus.  
 41 Vos, o Pieria doctae de rupe sorores,  
 42 immo me Bembi condite corde mei ;  
 43 atque viri ingentem laudem aspirate canenti,  
 44 spiritus ut grandi surgat in ore novus.  
 45 Tunc noscet ventura aetas, Venetusque Senatus,  
 46 quae fuerint civis munera magna sui,  
 47 quid patriae dederit varias legatus ad urbes,  
 48 eloquio ante omnes consilioque potens.

## AD EUNDEM

C\_8 v.1 Nobilitas prisco si forte a sanguine surgit,

2           quod gravis usque tamen Stoica secta negat,  
3       quis te plura tulit ramoso in stemmate, Bembe,  
4           nomina vel plures enumeravit avos ?  
5       Sunt alii, patriae qui si moderentur habenas  
6           publica vel populi munera magna gerant,  
7       sese Trojugenas et Cadmi semine natos  
8           Cecropiumque putant exsuperare genus.  
9       Sed si prima urbis Venetae repetatur origo,  
10       quae latum imperium saecula longa tenet,  
11       nunquam Bemba manum domus a temone remisit,  
12       sed semper dubiis addita consiliis.  
13       At si sola potest virtus, nihil indiga rerum  
14       Fortunae, quemvis nobilitasse virum,  
15       Socrate jam gradibus convincam iudice Bembum  
16       omnibus exactum nobilitatis opus.  
17       Namque illi est animus generoso incoctus honesto,  
18       quod sibi doctrina, quod sibi more parat.  
19       Nam docilis subiens dudum penetralia sanctae  
20       naturae, ad verum jam sibi fecit iter.  
21       Hic salibus lepidus variis, huic ore rotundo  
22       grandibus in rebus grandia verba sonant.  
23       Publica si dubio tractantur munera casu,  
24       atque opus est celeri mente praeire malum,  
25       ingenii velox magni miramur acumen,  
26       rebus in ambiguis consiliumque grave.  
27       Non aurum Xerxis, Siculi non monstra Perilli  
28       sperent robusto corde movere fidem ;  
29       Sirenas contra clausit nec firmitus aures,  
30       cujus ob ingenium Pergama celsa jacent,  
31       atque voluptatum illecebras, Bernarde, dolosas  
32       et dirae Circes noxia philtera fugis.  
33       Sed nullum est majus generoso in pectore signum  
34       Musarum sacros quam coluisse choros.  
35       Nam, quem Pegaseo lavere in fonte sorores,  
36       ad gremium summi subvolat ille Jovis,  
37       terrenasque odit labes, raptatur amore  
38       caelestum, et patrias gaudet inire domos.  
39       Neve novum aut vilem jam, Bembe, putabis amorem :  
40       nil magis antiquum, nobiliterve nihil.  
41       Ante etenim caelos et clari sidera mundi  
42       stabat amor servans atria summa Dei.  
43       Et si quos habeat genitores forte requiris,  
44       forma parens illi est, et pater ipse decor.  
45       Te sine, dulcis amor, rerum natura creatrix  
46       nil agit, artifices nec movet illa manus.  
47       Te duce, mortales imi licet infima mundi,  
48       heu, procul a patriis sedibus antra colant,  
49       caelestis quoniam sunt haec simulacra decori,  
50       pulchrum adamant, siquid Daedala terra tulit.  
51       Spiritus est homini superiorum incensus amore,  
52       et cupit aeterno ponere fonte sitim.  
53       At loca dum silvae peragrat tenebrosa profundae,  
54       nec caelum in tanta cernere nocte valet,  
55       quae terrena sui genitoris imagine fulgent,  
56       haec amat, haec summi sunt simulacra boni.  
57       Sic tu quam primum vidisti, Bembe, Gineuram,

58 caelesti lapsam credis adesse choro.  
 59 Et certe aut diva est, aut munus tale deorum,  
 60 quale hominum generi saecula rara ferunt.  
 61 Nempe caput Pallas dedit, et Venus aurea crines,  
 62 a radiis oculi sunt sibi, Phoebe, tuis.  
 63 Juppiter impressit clementi in pectore castum  
 64 propositum et sanctae jura pudicitiae.  
 65 Cornibus at demptis faciem Semeleius affert,  
 66 et Charites deceat, quod facit, omne jubent.  
 67 Dulce loqui dulci risu ingenuoque pudore  
 68 Mercurius facili sidere, Bembe, dedit ;  
 69 nam pudor et risus coeunt sic viribus aequis,  
 70 ut rubeat fulgor, fulgeat ore rubor.  
 71 Hinc radii veniunt oculos qui luce retundant,  
 72 quique urant flammis mollia corda suis.  
 73 Talis enim fulgor, qualis percussa nitenti  
 74 gurgite de Tyrio purpura sole micat.  
 75 Uni igitur cedit generosum pectus amori,  
 76 nobilibusque animis imperat unus amor.  
 77 Absit amor, nullae poterunt cohibere catenae  
 78 nobile cor nullis viribus impar erit.  
 79 Verum sponte sua sequitur meliora monentem,  
 80 pulchrum amat ; in pulchrum nam rapit altus amor.  
 81 Quid, mala si mandent ? Non, si ruat arduus aether,  
 82 parebit ; quoniam turpia vitat amor.

EULOGIUM IN OBITU MICHAELIS VERINI

C\_9 v.1 Estne levis rumor sic, oh, seu conscia veri  
 2 fama ? Sed heu nimis est conscia fama mali !  
 3 Occidit heu vestrum crimen, crudelia fata,  
 4 occidit heu Michael, luctus amorque patris,  
 5 occidit Aonio quem vos nutristis in antro,  
 6 Musae, Cirrhaei quem lavit unda jugi,  
 7 occidit heu Michael, proprio nam nomine dixit  
 8 princeps Aonii, Calliopea, chori.  
 9 "Quis Deus est" Michael resonat, modo nosse velimus  
 10 prisca Palaestino verba notata sono :  
 11 ipse Deus quid sit, vix puber nosse laborat,  
 12 tempore quo reliquis ludus et umbra placet.  
 13 Verum id cum vera faceret ratione, putandum est  
 14 Verini agnomen non sine sorte datum.  
 15 Quid pietas, quid casta fides, quid possit honestum.  
 16 A teneris annis hic monumenta dedit.  
 17 Quique solet primam nimium vexare juventam,  
 18 expers obsceni semper amoris erat :  
 19 vivebat caelebs, primis atque integer annis  
 20 contempsit Cypriae dulcia dona deae.  
 21 Hoc tulit indigne, superat qui cuncta Cupido,  
 22 cui parent superum numina magna deum,  
 23 et parat ultrici puerum terebrare sagitta,  
 24 altitonum valeat qua superare Jovem.  
 25 Sed frustra aurato tentat praefigere telo  
 26 pectora, quae sanctae Palladis arma tegunt :

27 hoc cernens aliosque dolos aliudque volutans  
28 consilium insolita callidus arte petit.  
29 Nam morbum immisit, quem nec queat ipse Machaon,  
30 nec tua docta manus pellere, Phoebigena.  
31 Convocat hic medicos Paulus, quem cura nepotis  
32 anxia sollicitum nocte dieque premit.  
33 Conquirunt igitur veterum monumenta virorum,  
34 siqua datur morbo jam medicina gravi :  
35 quae Galiene tuo divine volumine monstras,  
36 quaeque docet Coi pagina docta senis,  
37 quid velit Hippocratis magni doctrina, quid ille,  
38 cujus Arabs justo paruit imperio,  
39 Mosaicosque manu versat, Latios Danaosque,  
40 quique colunt ripas, advena, Nile, tuas.  
41 Denique perceptis cunctorum sensibus omnes  
42 huc veniunt atque haec mens fuit una viris :  
43 non posse extremae hunc tempus sperare juventae,  
44 gaudia percipiat ni tua, pulchra Venus.  
45 Res miranda quidem, rara et per saecula visa,  
46 exemplum in puero tale pudicitiae,  
47 qui vitae sanctum potuit praeferre pudorem,  
48 viveret ut semper, tunc voluisse mori.  
49 I nunc, Hippolytum verbis extolle superbis,  
50 Bellerophonteum nomen in astra refer ;  
51 non hic Antiam, non pulchrae gaudia Phaedrae,  
52 omnia sed Veneris furta nefanda fugit.  
53 At ne forte putes nullo hunc caluisse furore  
54 nulla nec aligeri tela tulisse dei :  
55 sunt geminae Veneres, gemini hinc oriuntur amores,  
56 Terra haec demersa est, caelitus illa venit.  
57 Altera vulgarem vero quam nomine dicunt,  
58 namque levis plebis vilia corda domat,  
59 mortalesque artus homines, formaeque caducae  
60 terrenum miseris corpus amare jubet.  
61 Altera caelestis superis dominatur in oris,  
62 mater nulla illi est, Juppiter ipse pater ;  
63 haec, quas nulla mali violant contagia sensus,  
64 divino mentes urit amore pias.  
65 Hic Michael valido praefixus pectora telo,  
66 caelum amat, et coeli moenia mente capit ;  
67 nec quicquam puerile sapit puerilibus annis,  
68 tristis at in tenera fronte senecta sedet.  
69 Sevocat a sensu mentem, tetramque perosus  
70 luxuriam, aetherae scandit ad astra plagae,  
71 cunctaque sub pedibus mittens quae mersa sub ipsa  
72 materia in tenebris corpora caeca tegunt,  
73 et magni volitans mundi per curva supernos  
74 spirituum volucer tentat adire choros.  
75 Interea pestis teneros depascitur artus,  
76 contrahit in rugas squalida, membra lues,  
77 et toto succum flaccescens corpore sugit  
78 pus solidum, innatus deserit ossa vigor,  
79 donec ab assumptis animus discedere membris  
80 cogitur et putri carcere pulsus abit.  
81 Pulsus abit, sed laetus abit, vinclisque solutus  
82 cognoscit quantum mors habet ista boni,

83 exilioque gravi liber caelestia summi,  
84 quae patria est, ardet visere templa Dei.  
85 Sed quid te plorem puerum, Verine ? Quid ultra  
86 fata tuae mortis stultus iniqua querar ?  
87 Mortuus en vivis, sed nos dum nostra manebit  
88 vita, nimis blanda morte maligna premet.

IN DANTIS POETAE SEPULCRUM

C\_10 v.1 Fecerat egregia constructum ex arte sepulcrum  
2 Tyrrheno Danti prisca Ravenna novum ;  
3 invida sed sacris obsunt quoque fata sepulcris,  
4 et turpi obducunt omnia pulchra situ.  
5 At tu, deliciae Veneti, Bernarde, senatus,  
6 tutela et sacri maxima, Bembe, chori,  
7 livida mordaci quod triverat ante vetustas  
8 dente, novum niveo marmore restituis.

(EPITAPHIUM COLUCCII SALUTATI)

C\_11 v.1 Multa licet stupidum rapiant spectacula templi,  
2 dum tamen ista legas, parva futura mora est.  
3 Cantaram, nostri celebrati scriba leonis,  
4 Amphitryonidae maxima facta ducis,  
5 unde Salutati viridantia sarta Colucci  
6 cinxerunt vatis tempora cana. Vale !

(PRO EODEM IN PALATIO)

C\_12 v.1 Cujus Bebriacas percussit epistola mentes,  
2 quantum equitum turmae non potuere decem,  
3 hic caput exornas Phoebea fronde, Colucci,  
4 dum canis Herculeae maxima facta manus.

(IN LAUDEM IANOTII MANETTI)

C\_13 v.1 Hebraeus, Graius quicquid Latiusve poeta,  
2 philosophus, rhetor scripsit et historicus,  
3 Jannotius noram. Dubiis Florentia rebus,  
4 pontifices, reges me voluere sibi.